

Die 5 Maji

S. ANGELI MART. O.N.

Lectio Liber Sapientiae

Sap 3:1-9

Justorum autem animae in manu Dei sunt, et non tangent illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter exterminium; illi autem sunt in pace; et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati sunt in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi et tamquam scintillae in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. Qui confidunt in illo intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis ejus.

Verbum Domini

Deo gratias

Ps. 30: 3-7;15-17

Domine Jesu, accipe animam meam! Alleluia!

Inclina ad me aurem tuam;
accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem,
et in domum refugii, ut salvum me facias :
quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu;

et propter nomen tuum deduces me et enutries me.

Domine Jesu, accipe animam meam! Alleluia!

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi,
quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum;

redemisti me, Domine Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates supervacue;

ego autem in Domino speravi.

Domine Jesu, accipe animam meam! Alleluia!

Ego autem in te speravi, Domine;

dixi : Deus meus es tu;

in manibus tuis sortes meae :

eripe me de manu inimicorum meorum,

et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum;

salvum me fac in misericordia tua.

Domine Jesu, accipe animam meam! Alleluia!

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

2Tim 2:4-10; 3: 10-13

Carissime: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, ut

et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cælesti. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris: quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.

Verbum Domini

Deo gratias

Alleluia! Alleluia!

PS 63, 11 Laetabitur justus in Dómin, et sperabit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. **Alleluia! Alleluia!**

Matt. 28, 2 Angelus Dómini descendit de caelo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. **Alleluia! Alleluia!**

Sequentia sancti Evagelii secúndum Matthaéum.

Matth 16:24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Verbum Domini

Laus tibi Christe